



Aug VI 182

Occasionalia
p. 111
vol. 22
W-182.

W-182

88

FLORENTISSIMO HVMANISSIMOQVE
CHRISTIANO SIGISM.
LIBIO
FRAVENSTEINENSI EX HERMVNDVRIS
SS. LITERARVM CVLTORI SOLERTISSIMO
DOCTORI PHILOSOPHO
LIPSIAE

A. C. MDCCXXI PRIDIE EIDVS FEBRVARIAS

SOLENNI RITVS ANTIQVI FORMVLA

RENVNTIATO

L. M. Q.

GRATVLOR

M. GODOFREDVS VVAGENERVS

IVTREBOGA SAXO



Literas Tuas, non ita pridem pereleganter ad me ac nitide scriptas, amoris praeterea plenas et humanitatis, summa cum animi uoluptate non perlegi solum, sed etiam relegi, atque ex iis perspexi laetus, summos in Philologia honores, pridie Idus Februarias, in illustrissima ad Plisfam Academia, illa, inquam, omni et cultus, et commerciorum, genere florentissima Osterlandorum Vrbe, assumendi consilium Te cepisse. Ac profecto saepe sum miratus, cur his non dudum uolueris impertiri honoribus, cum iam olim dignus fueris habitus, qui inter Philosophiae Candidatos nomen profitereris. Verum abhorruisti forsan ab consuetudine illorum, qui, uix Academiam ingressi, nihil prius, nihil habent antiquius, quam, ut ad altiora quaeuis contendant. Quapropter non culpari, sed laudari potius, mereris, dum cuncta, quae agere instituis, bene prius prudenterque perpendis, ne inconsulte quid ac temere abs Te fiat. Illud uero nullo non tempore dedisti operam, ut in literas serio incumberes tantisper, dum non mediocriter, uerum apprime, doctus euaderes, ac, optimis quibusque artibus et linguis instructus, DEO tandem, puriori eius Coetui, totique adeo Literatorum Ordini, modis haud unis inferuire posses. Oprime enim noueras, ab Aeterno Praepotentique NUMINE hac potissimum de causa hominem esse conditum, ut non sibi, sed aliis etiam, uiueret, dotibusque, ab Conditore sibi creditis, pro uirili parte prodesset. Nihil itaque literarum studiis praestantius in uita, nihil esse iucundius, nullo item alio modo, facilius feliciusque ad nominis immortalitatem, quam per literarum studia, perueniri posse, iudicasti, saepe multumque apud Te perpendendo sapiens illud Philosophorum principis effa-

tum, qui, de discrimine doctos inter et indoctos, a quodam rogatus, scire admodum respondit, idem esse, quod inter caccos et uidentes, immo, defunctos inter et uiuentes. Omnino autem permagna felicitatis in parte abs Te poni debet, quod Patrem es nactus, qui, prout ipse publico docendi munere fungebatur, ita, primo statim aetatis flore, indolem Tuam, cupidissimam discendi et capacissimam, ad literarum studia probe studioseque prae-parauit, rationi et uiae Te erudiendi conuenientissimae semper insistens. Charissimi ergo Patris Tui institutione per annum haud unum, nec sine fructu singulari, usus, eiusdem suasu hortatuque illam Urbium montanarum in Misnia reginam, Freibergam, petiisti, ibique discipulorum in numerum receptus, ac per aliquot annos, Tuorum causa studiorum, commoratus, in Latinis haud secus, ac in Graecis Ebraicisque, literis, pro mentis Tuae sagacitate, adeo feliciter profecisti, ut Praestantissimi hoc in Gymnasio doctores, *Frischii*, *Beyeri*, *Mulleri*, *Hassii*, docile aptumque ad artes optimas ingenium Tuum apprime collaudarent. Verbis certe haud exprimi potest, quantum me delectarint semper et ceperint Carmina Tua, nostro pariter, ac Romanorum, sermone abs Te condita, mihi que saepe tum temporis ad legendum per liberaliter oblata. At enim, quoniam in Ludis non omnia, quae homini erudito sciru sunt necessaria, possunt addisci, illud ipsum Tu reputans Tecum, Lipsiam ante quadriennium, sapientiae cum primis diuiniae humanaeque studio ductus, commigrasti. Quo cum uenisses, Viros omni doctrinarum genere excellentes adisti, atque initio politiores illas cupidissime arripuisti disciplinas, firmiter persuasus, eas ad sacrarum quoque literarum interpretationem facere non parum, nec sine his quenquam diuinis in studiis posse magna admodum

habere incrementa. Neque tamen in his solis profanae sapientiae spatia acquisisti, sed contentione multo maiore ad illam vere coelestem doctrinam animum applicuisti, uocatis in subsidium, quae ad Orientem spectant, linguis, ut in perferendis sanctioribus illis DEI oraculis tanto melius celeriusque progredere. Sed, ut laboribus tandem debentur praemia, uirtusque excitatur ornamentis et augetur, sic etiam Tu, Amicorum Optime, uberores industriae fructus, tanquam uerae uirtutis et sapientiae mercedem, hodierno die cepisti, et consueta Philosophiae insignia iuxta, ac priuilegia, laboribus, curis uigiliisque, Tuis digna, in iis et Laurum, strenue certantibus in medio positam, post cursum ac certamina impetraisti. Quare, pro ueteri, quae inter nos uiget, coniunctione, nec debeo, nec possum, quin et ego cum aliis congratulandi officium Tibi nunc persequam, quod et olim abs Te mihi Freibergae praestitum fuisse, adhuc, singulari cum iucunditatis sensu, recordor. DEVM uero O. M., literarum artiumque et Auctorem, et Statorem, sincere ac toto pectore ueneror, ut hic honoris gradus, quem digne iam es adeptus, bene Tibi ac feliciter eueniat, incitamentumque ad ampliores sit dignitates, Tuis item praeclaris conatibus propitius idem Pater adsit, tandemque, cursu studiorum ex animi sententia confecto, occasionem Tu uel de diuini eius Coetu, uel de Scholis, bene merendi quam primum nanciscare. Quod reliquum est, ut in arctissimo pristinae illius amicitiae uinculo constantem Te praebes, neque uel locorum interuallis, uel dilatione commercii literarum, illud patiaris tolli, per communes Musarum delicias abs Te contendo. Vitembergae, ex Museo, ipso die Nuptiis Tuis Philosophicis sacro.

Ung. VI 182

FLCN



lectas. Tunc non iam priorem perlegam
terram me ac nullo scriptas, amois
practicae plectas certumant, dum
ma cum animi uoluptate non perdet
solus, sed etiam tele
perplexi lectas, iungit
pina honores, priede



ENTISSIMO HVMANISSIMOQVE
STIANO SIGISM.
LIBIO

STEINENSI EX HERMVNDVRIS
RARVM CVLTORI SOLERTISSIMO
TORI PHILOSOPHO
LIPSIAE

2. CIC 13 CC XI PRIDIE EIDVS FEBRVARIAS
RITVS ANTIQVI FORMVLA

RENVNTIATO
L. M. Q
GRATVLOR

DOFREDVS VVAGENERVS
IVTREBOGA SAXO

num de causis hominum esse condita
allic, etiam, amoret, condidit, et
dus, pro nra parte prodiderit.
tam studis practantur in eua, nra
as, nullo item alio modo, facillia sol
muis immortalitatem, quam per hunc
tenari posse, indicat, saepe multumq
pendendo sapientia libud Philosophorum

